

argumenta in ipsos Africanos regerebat Augustinus lib. 6. de Bapt. cap. 18. 23. & 31. Ex quippe nota, si tituli in quocunque impiis recidunt seu intra seu extra Ecclesiam positi sint: Cum tamen ultro faterentur Africani, Sacramenta ab impiis intra Ecclesiam ministrata, rata esse & integra. Quapropter observabat Sanctissimus Doctor, hæreticos propria quidem iniquitatis merito, Diaboli, & Antichristi membra esse; Divina tamen permissione, Christi ministerium obire; (non per verba sicut Cancer serpentina, sed per Evangelica Sacramenta de Cœlesti fonte manantia.) Eo pari modo quo Balaam, propria iniquitatis perveritate Diaboli Minister effectus, Dei populo maledicturus venerat; qui tamen superno iustinctu, Divinæ dispositioni serviens, benedixit.

Ultimum ex comparatione Martyrii cum Baptismate perebat Africani. Potior quippe est, inquit, Martyrii vis quam Baptismatis: Nullum tamen extra Ecclesiam Martyrium esse potest tamen pro Catholici dogmatis defensione quis occidatur; quanto magis nihil homini proderit, si extra Ecclesiam baptizetur? Reponere Augustinus lib. 4. Cap. 17. Extra Ecclesiam Martyrium esse non posse, quia extra Ecclesiam Fides & Charitas esse non possunt: His quippe duobus Martyrium maxime constat. Cæterum longe aliter in baptismate se res habet, in quo duo mutuo concurrunt, Sacramentum scilicet, fructusque Sacramenti. Fides & Charitas Sacramenti fructum comitantur aut sunt, nequaquam tamen indivisa sunt Sacramento. Nullus ergo extra Ecclesiam Sacramenti fructus est, aut certe modicus, susceptus nempe caracter: Stat tamen extra Ecclesiam Sacramentum ipsum, in fructibus & effectibus vacuum in adultis, qui fructuum percipiendorum inhabiles, propter erroris communionem efficiuntur. Quod & intra Ecclesiam, ut ajebamus, non semel accidit, non conferentis perveritate, sed vitio suscipiente.

Opponet forte nonnemo Canonem 45. Apostolorum, ita decernentem: *Episcopum vel Presbiterum, qui hæreticorum baptismum vel sacrificium admiserit, deponi jubemus. Que enim conventio Christi cum Belial, vel que pars est fidelis cum infideli? Quo nihil eliquatius videri potest. Verum neminem criticæ scientiæ peritum reperire est, qui canones illos sub Apostolorum nomine quondam alias venditatos, uti spurios non exufflet ac tam sacro nomini temere suppositos, ab infidelis, & imperitis nebulonibus, ut incautis illuderent: & certe Miraculi loco habendum esset. Canon igitur ille pseudo Apostolicus, ex Synodo Iconiensi defumptus est, ab imperitie confarcinatore; cui fati eruditionis ac peritiæ non erat, ut agnosceret, Synodi Iconiensi acta, uti & cætera omnia a Præfulibus Africanis tentata sæculo tertio, a Stephano Summo Pontifice in irritum missa esse.*

Difficilius fortasse fuerit nonnullorum Patrum testimonia interpretari; ne eidem Rebaptizantium errori favisse videantur, etiam ex quo tempore a Concilio Arelateni, & Nicæno proscriptus est. Athanasius in primis objici potest Orat. 3. adversus Arianos, cujus hæc verba sunt: *qui fieri potest ut pravus vacuum ac inutilis non sit Baptismus, qui ab illis datur, in quo quidem insit Religio simulatio, sed revera nihil ad pietatem queat conferre. Verum quæ subjungit Athanasius ipse difficultatem omnem amovet: addit etenim e vestigio: nec enim Ariani in Patris, & Filii nomine dant*

(a) Tournelli pag. 303. de Sacram. in genere.
(b) Tournelli pag. 210. de Sacram. in genere.
(c) Tournelli pag. 201. de Sacram. in genere.

Baptismum, sed in nomine Creatoris & sui create, & effectoris, & sui factæ. (a) Non ob id ergo Arianorum Baptisma irritum censuit Athanasius, quod ab Hæreticis collatum esset, quasi sola Ministri infidelitas irritum redderet Sacramentum, quod in præsentia disputamus: sed quod præscriptam a Domino baptismatis formam violarent. Quo casu irritum evadere Sacramentum nemo negaverit.

Objicitur secundus in ordine S. Cyrillus Hierosolymitanus in præfatione Catecheseon ita scribens: *(b) Hæretici rebaptizantur, si quidem prius illud non erat baptismum.*

Tertius adducitur S. Basilii Magnus Epistola Canonica ad Amphilochem Canone 1., & Epist. 2. Can. 47. Ubi Hæreticorum omnium baptismum, nominatim vero Pepuzenorum, Encratitarum, Novatianorum, (& Hydroparastatarum, & Apostatarum, iterandum decernit: Tamen nullo prioris ætatis monumento colligi possit, illos debitam baptismatis formam violasse. Verum nec id miraculi loco habendum est; Cyrillus enim & Basilii Magnus, illorumque Ecclesiæ nondum plane veterem morem deposuerant, qui ab orientibus Episcopis tertio sæculo inductus fuerat, Hæreticos rebaptizandi: partim quia Concilii Arelateni, ubi diserte damnatus fuerat, auctoritatem non agnoscebant: partim quia cum errore a Nycæna Synodo Œcumenica per legitimam consequentiam damnatum esse, nec dum hæcenus deprehenderant. Cæterum quod ætate subobscurum adhuc erat, orto subinde Donatistarum schismate, in publica orbis luce positum est.

Quo vero tempore, ab errore de rebaptizandis hæreticis, resipuerint Africani, cum S. Cypriano illorum duce, non ita facile desinierim. Et quidem D. Augustinus, qui illud argumentum fuscè admodum pertraxerat; occasione Donatistarum, Epist. 93. ad Vincentium de S. Cypriano diserte ait, *Correxisset autem istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit. D. autem Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos Cap. 8. disertissime scribit. Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos Hæreticos, cum Cypriano staterant, ad antiquam consuetudinem revoluti, necum emisere decorem. Unde colligo, contrarium illud Decretum Africanorum, vivente Cypriano, editum non esse, sed illo ad superos vocato: alias ex hoc ipso decreto, certo constaret D. Cyprianum priorem sententiam correxisset, quod tamen minime constare, asserit Augustinus.*

In sequenti lectione Historicam controversiam agitabimus: Num Stephanus Rom. Pont. S. Cyprianum, & Firmilianum cum Coepiscopis, ob errorem de rebaptizandis hæreticis, excommunicavit.

PRÆLECTIO VIII.

Num Stephanus I. R. P. Africanos Episcopos, & Astaticos excommunicatione re ipsa petierit, ab errore de rebaptizandis Hæreticis, queritur.

Quantum Stephanus I. Ecclesiæ Romanæ Pontifex, rebaptizantium errorem exagitarit: quo zelo in S. Cyprianum & Coepiscopos Africanos exarsit: quo demum animi sensu, in Firmilianum, cæterosque Axiæ Præsules, pro veritate certavit, satis superque in superioribus demonstravimus. Amarissima controversia eo demum deduc-

deducta est; ut Firmiliani & Orientalium Præsulum Legatos Roman missos, nec alisquo rectore recipere, nec dare illis osculum dignatus sit Pontifex. Scire nunc tandem juvat, num etiam Africanos Episcopos, & Astaticos excommunicatione re ipsa petierit, quod hæreticos ad Ecclesiam reduces, novo baptismate iniciandos existimarent; Et quidem Baronius Annalium Ecclesiasticorum Patens, numquam nobis sine laudis præfatione nominandus, illos omnes sacro anathemate percussos existimat. Ne vero fateri cogatur, sanctissimos viros sacris Ecclesiæ factis adscriptos, extra Ecclesiæ Romanæ communionem obijisse, subjungit, illos demum errorem de rebaptizandis hæreticis deposuisse, S. Dionysio Alexandrino vitam agente: hoc est, circa annum 250.

Nobis cum Eminentissimi Scriptoris bona venia longe videatur aliter: certoque persuasum est, Stephanum Romanum Pontificem, D. Cypriano cum Præsulibus Africanis, Firmiliano cum Astaticis, excommunicationem quidem comminatum esse; ab iis abstinendum censuisse: sacrum nihilominus excommunicationis gladium nequaquam exeruisse, sed intra minas hæsisse. Quod nobis in præsentia probandum venit.

Et quidem quod primam assertionis nostræ partem atinet, a nemine quod sciam vocatur in dubium. Excommunicationis comminationem testatur Augustinus lib. de Unico Baptis. contra Petilianum cap. 14. *Cum ergo Stephanus, inquit, non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt. Eundem Pontificem censuisse, ab Africanis, & Astaticis rebaptizantibus abstinendum esse, Cyprianus ipse profitetur Epist. 74. ad Pompejanum, Sacerdos Dei, inquit, Veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes (sic enim semetipsum & Coepiscopos vocat) abstinendos putat. Profertur hoc idem Dionysius Alexandrinus in Epist. ad Sixtum; quam retulit Eusebius lib. 7. Hist. Eccl. cap. 4. Stephanus antea scripserat Epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Episcopis, qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, que erant finitima, quod neque cum illis quidem, ob eam causam, omnino communicare vellet. Quo nihil apertius desiderari a quoquam potest, ut commotum Pontificem demonstrerem.*

Ad alteram itaque assertionis partem, a Baronio oppugnatam, difficultas tota devolvitur: hæsisse Pontificem intra minas, nec re ipsa gladium excommunicationis eduxisse, hoc opus, hic labor est.

Rem plane conficere mihi visus est Augustinus, partim loco paulo ante laudato, ubi cum retulisset, Stephanum excommunicandos censuisse rebaptizantes, subjungit e vestigio, *tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit: Partim etiam imo & maxime, lib. 5. de bapt. contra Donat. cap. 25. ubi odiosissime controversiæ exitum recenset in hæc verba: Stephanus autem etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Iste autem questionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissime prædixit, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotus, sed tamen fraterne indignarentur, vicis tamen pax Christi, in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. Hæc ille. Porro pax Christi inter Cyprianum, & Stephanum abrupta fuisset, si Cyprianum illique adhaerentes Episcopos anathemate confixisset Stephanus ipse: non itaque Anathematis gladium in Cyprianum re ipsa distrixit.*

Jam si non distrixit in Cyprianum, neque profecto in Firmilianum, distrixisset putandus est: Una enim utriusque causa erat: Uterque rebaptizandos censebat hæreticos: pari uterque ardore, pari animi contentione, pari in Stephanum commotione sententiam suam tuebatur: Ut plane cum Cypriano, quam cum Firmiliano mitius se gerere jure non posset Stephanus Pontifex. Rursus Cyprianus cum Firmiliano perpetuo communicavit, frequenter ad illum dedit Epistolas, Carthagenensium Synodorum acta transmisit, causam uno verbo cum ipso communem habuit. At minus æque ista gessisset, si Firmilianum a Stephano, cum quo pacem servabat ipse, excommunicatum agnovisset, dirisque devotum.

Augustini suffragium confirmat D. Cyprianus, cui maxime standum est, Epistola ad Iubajanum, ubi sensus suos sincere, & candide aperit: *Nos, inquit, quantum in nobis est, propter hæreticos rebaptizandos, cum Collegis, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus Divinam concordiam & Dominicam pacem tenemus, maxime cum Apostolus dicit: Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Servatur a nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii. Porro non servasset profecto Cyprianus concordiam Sacerdotii, & honorem Collegii, nec tenuisset Dominicam pacem, si excommunicatione Stephani insuper habitam, atque contempta, sui ordinis ac dignitatis munita obijisset. Non ignorabat enim, penes Rom. Pontificem esse potestatem alios Episcopos communionem privandi: Siquidem ad eum scripserat non ita pridem, ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianos defecerat, excommunicaret, aliumque in ejus sedem sufficiendum jubere Episcopum. Non itaque verisimile est, S. Cyprianum a Stephano Rom. Pontifice Excommunicatione petiturum esse.*

Accedit observatio minime contemnenda de S. Firmiliano. Is scilicet adfuit celebri Concilio Antiocheno, habito anno 264. Ubi scribit Eusebius lib. 7. Hist. Eccl. cap. 22. Quo in Concilio sedebant celeberrimi Sanctissimique totius Orientis Episcopi, qui Apoliticæ Sedi Communionem juncti erant. Equis vero sibi persuadere passuros fuisse, ut sibi affideret Episcopos Ecclesiastica communionem privatus? Quid plura? Secundæ Synodi Antiochenæ Patres anno 270. celebrata in Epistola ad Alexandrum Romanum Pontificem Stephani successorem, Firmilianum *Beati recordationis virum* appellant. Mirum certe, quod sacri honoris titulos Episcopo excommunicato jam solemner detulissent.

Ultimum huic nostræ opinioni sigillum ponit S. Dionysius Alexandrinus. Is certe apprime novit, quid in illa controversia Stephanum inter & Firmilianum getum esset: imo in sententiam Firmiliani de rebaptizandis hæreticis concessit, scripsitque ea de re ad Sixtum Rom. Pont. proximum Stephani successorem teste Eusebio lib. 7. Hist. Eccl. cap. 4. quin & ad alios, plurimas pro rebaptizandis hæreticis litteras dedit, que S. Hieronymi ætate adhuc extabant, ut ipse testatur in *Cathal. de script. Eccl. cap. 80.* Incredibile autem est, S. Dionysium Alexandrinum, quem inter & Stephanum aliosque Romanæ Sedis Pontifices, mutua semper intercessit communio, sententiam illam alexpulum fuisse, ob cujus defensionem Cyprianum ac Firmilianum novisset excommunicatos.

His omnibus adducor, ut a Baronio recedam, credamque longe certius, Stephanum R. Pontificem excommunicationem quidem in Cyprianum cæte-

ceteroque Rebatizantes Episcopos intentasse, hæsse nihilominus intra minas, nec re vera gladium anathematis exeruisse.

Unicum Firmiliani suffragium nostræ huic assertioni videtur officere. Ille enim data ad S. Cyprianum Epistola, semetipsum cum Coepiscopis pluribus, Cyprianumque cum Africanis, excommunicatos a Stephano, non leviter iunuit. Ita quippe in Stephanum invehitur homo plus justo iracundus: *Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti? Excidisti enim tripsum: noli te fallere. Si quidem ille est vere Schismaticus, qui se a Communione Ecclesiæ unitatis apostatam fecerit: Dum enim putas, omnes a te abstinere posse, solum te ad omnibus abstinisti.* (a) Scilicet uti cernitis Stephanum reum agit, quasi ceteros excommunicando, semetipsum excommunicarit.

Tum paucis interjectis, Stephani asperitatem nimiam fugillat, quod Episcoporum Asiæ Legatos, nec ad sermonem saltem colloquit communis admitteret: *veteritque ne quis eos in Domum suam reciperet: ac tandem iusserit, ut venientibus non solum pax & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur.* At illi quorum Legatis non solum pax & communio, sed etiam tectum, & hospitium negata sunt, re ipsa excommunicati censentur: Non itaque intra excommunicationis minas hæsse videtur Stephanus, sed eandem in Africanos Præsules dirixisse.

Equidem si unum hac in causa Firmilianum audire fas esset, proclivior essem, ut Africanos & Asiaticos re vera excommunicatos existimarem. At cum Firmiliani suffragium cum aliis adductis a me monumentis conciliare sit opus, necesse profecto est, ut hominis irati verba temperemus. Dicam ergo quod res est, Firmilianum Stephani severitate commotum, minas ejus exaggerasse, & intentatam excommunicationem, quasi re ipsa lata esset, atris Characteribus descripsisse. Ea enim est iratorum hominum indoles, ut illatas sibi iniurias, veras, aut præsumptas, scribendo augeant, ut amulis suis odium concitent. Unde Tragicus in *Thyeste* præclare cecinit *Iratus nil nisi nonstra loquitur.* Firmilianus igitur, neque in hoc, neque in aliis, quæ acerbioris styli impetu in Stephanum Pontificem effudit, hac Epistola credendum est. Quis enim credat Stephanum fuisse Schismaticum & Apostatam, quia id Firmilianus effudit? Quis Stephanum cum Juda proditore comparandum existimet, quia illum hac in Epistola Firmilianus cum Juda contulit? Quis audacia, insolentia, improbitatis, Sanctissimum Pontificem infamulet, uti Firmilianus infamulat? Cum itaque in his omnibus tam a veritate, ab æquitate a Christiana charitate alienis fides Firmiliano denegetur: minus quoque in cæteris, de lata excommunicatione, credendum illi est, quod omnia præ nimio livore exaggerarit.

Quamquam autem Asiæ Legatis pacem, & communionem, tectum, & hospitium negasse Stephanus supponatur, non inde certo colligi potest, fuisse illos excommunicatos, lata in eos & in Firmilianum sententia. Id enim Oeconomia tantum gratia factum fuit a prudente Pontifice, ut Orientales ab errore nascente revocaret: Ne scilicet Legatis benignius excipiens, errori favere videretur; neve illic Romæ commorati hospites suos, aut maximam fraternitatis partem, speciosa, licet falsa Doctrina imbuerent. At severitas illa in Legatis excipiendis, ab excommunicatione plurimum differt. Sicut ergo nemo hucusque commiavit, S. Epiphanium Salaminae Cypri Episco-

pum, excommunicasse S. Joannem Chrysostrum Constantinopolitanum Antistitem, licet Constantinopolim veniens, nec in Ecclesia cum illo orare, nec in ejus ædibus commorari, est humanissime invitatus, voluerit; sed S. Epiphanius cautioni id tribuunt omnes, in errore tamen facti fundata, quia se ab ejus consortio sejunxit, quem Origenistam arbitrabatur; ne Origenismo tunc temporis grassanti patrocinari videretur; & ut ab Origenistarum patrocinio S. Joannem Chrysostrum revocaret: Ita licet iusserit Stephanus Pont. ut alloquium, tectum & hospitium Firmiliani Legatis Romæ negaretur, colligi inde non potest, illos excommunicatione petitos esse.

In sequentibus, questionem alteram agitabimus, num Stephanus idem, in errorem oppositum Decreto suo prolapsus sit, quorumcumque hæreticorum baptisma, tamen verbis Evangelicis minime collatum, ratum validumque definiendo? Eumque ab impacta illi a quibusdam calumnia vindicabimus.

PRÆLECTIO IX.

Stephanum R. P. in rebaptizantium errore profligando, nec errasse, nec juris & æqui metas prætergressum fuisse, contra Blondelium Calvinianæ Sæcæ Professorem, nonnullosque Romanæ Communionis Theologos, demonstratur. Et quo tempore Præsules Orientales errorem de rebaptizandis Hæreticis, retractarint, ostenditur.

Duplicem hodierna luce difficultatem eliquandam aggredimur; Apologeticam unam; Chronologicam alteram: Priori quidem Stephanus Romani Pont. vindicias adorabimus; posteriori retractati a Præsulibus Orientalis erroris Epocham præhigemus. Stephanus Rom. Pont. a Blondello Calvinianæ Sæcæ Professore, nonnullisque Romanæ Communionis Theologis vitio datur, quod in rebaptizantium errore profligando, juris & æqui metas prætergressus sit: Nec modo baptismum hæreticorum debita forma ministratum approbavit; verum etiam & illum qui neglecta Sanctissimæ Trinitatis invocatione quoquo pacto collatus esset. Suum illi præsidium omne ex *Epist. 74. D. Cypriani ad Pompejanum* accerfunt: ubi Stephanus decretum hac in causa datum refertur in hæc verba: *Si quis a quacumque heresi venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad penitentiam.* Cum enim hæreticos inter, ea ætate non pauci reperirentur, qui debitam baptismatis formam violarent; hinc consequens esse putant Stephanus obtrudatorem, ut informe quoque hæreticorum baptismum probarit, qui nullo discrimineposito, hæreticos omnes decreto suo complexus est, omnes sola manuum impositione, in Ecclesia recipi jubens.

Mihi quidem consecutio hæc spuria videtur, ne dicam insulsa. His enim decreti verbis a quacumque heresi venerit, solas illas hæreses Stephanus intellexit, quæ aliunde baptismi formam integram involatamque servarent. Id Status ipse controversiæ plus fatis indicat. De sola quippe Ministrorum infidelitate quæstio vertebatur Stephanum inter & Africanos, num scilicet baptismus ab infidelibus collatus, ratum esse possit & integer: Nulla prorsus de servanda baptismatis forma controversia fervebat, quam omnes necessariam fatebantur. Dum ergo a quacumque heresi venientes, absque novo baptismo, solumque manuum impositione adhibita, recipiendos decrevit Stephanus Pontifex, id certo supponit, modo debita forma Sacro baptif.

baptismo initiati supponantur. Et vero, si ea Stephani loquendi ratio tam sinistra, ut ii quidem obtendant, interpretationi locum daret, nemo Patrum esset, qui violatæ etiam fidei inculari non posset. Nullus quippe occurrit, qui eam generalem & indiscriminam loquendi rationem non pariter usurparit.

Cæterum Stephanum certissime supposuisse, in ea cum Africanis mota lise, baptismum verbis Evangelicis conferri debuisse, ut rarus esset, ex ipso Firmiliano, S. Cypriani Collega colligimus *Epist. 74.* ubi Stephanum mentem explicatissimis verbis exponit: *Illud quoque absurdum, inquit, quod non putant querendum esse quis sit ille qui baptizaverit; eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi poterit, invocata Trinitate Nominum Patris, & Filii, & Spiritus S. (a) En apertam Stephanum suppositionem, quæ Catholicum generalis propositionis sensum aperiat.*

Id ipsum ex antiquis hujusce controversiæ tractatoribus apertissime liquet, præsertim ex Augustino in *libris de Baptismo contra Donatistas*, ex S. Hieronymo in *Dialogo contra Luciferianos*, ex Facundo Hermianensi *libro contra Marcionem*, Vincentio Lirinensi in *Commentario Eusebio lib. 7. Hist. Eccles. Cap. 2.* (b) alitque bene multis, qui eo maxime nomine Stephani zelum commendant, quod Ecclesia Rom. & Catholica traditionem suo illo Decreto vindicavit. Nisi ergo Catholicam & Romanam Ecclesiam, in errorem lapsam concedamus, hoc alterum concedere nullatenus possumus, Stephanum suo illo decreto baptismum absque verbis Evangelicis collatum approbasse, ratumque dixisse. Quid plura? Compertum est, omnes illius ætatis Episcopos duas in partes scissos fuisse, Cypriani nimirum aut Stephani; nulli rursus dubium est, illos in errore veratos esse, qui Cypriani partibus adharebant. Jam inquit, si Stephanus non Catholicam veritatem, sed errorem alterum e diametro oppositum lato Decreto, propugnabat, erroris itaque luto adharebant qui cum ipso sentiebant Episcopi; atque ita universa illius ætatis Ecclesia in errore, circa Hæreticorum baptismum versabatur. Quod Christi Domini pollicitationi repugnat, quia futurum spondit, ut nuscquam portæ Inferi adversus Ecclesiam prævalerent.

Cæpitavit itaque Benedictus XII. in Responione ad Fratellorum objectiones, dum scripsit, Concilium Nicænum extremos errores Cypriani & Stephani correxisse, mediumque inter utrumque iter arripuisse; fidem quidem in Baptismi Ministro minime necessariam statuens contra primum; Trinitatis invocationem necessariam definiens contra secundum. Cæpitavit, inquam, dum hæc scriberet Benedictus, neque vero id mirum, cum nec dum in Pontificis auctoritatis culmine locatus esset, dum eas Fratellorum objectiones de scripto uti privatus Theologus confutavit.

Sequitur altera difficultas eliquanda; quo tempore Præsules Orientales errorem de rebaptizandis hæreticis retractarint? Retractasse Baronius putat, Stephanus Rom. Pont. adhuc in vivis agentis; hujusque sue Sententiæ fundamentum petiit ex Epistola S. Dionysii Alexandrini ad eundem Stephanum data, apud Eusebium *lib. 7. Hist. Eccles. Cap. 4.* ubi Orientales Ecclesias antea dissentientes ad concordiam reductas esse profertur. Quin & inter eos Episcopos & Ecclesias, quæ mutuum concordiam inierant, Firmilianum totamque Cappadociam recenset. Verum non advertit Purpuratus historicus, S. Dionysium Alexandrinum non de controversia circa rebaptizantium

res agitata, sed de Novatiani Schismate locutum esse, quod cum in Orientem permeasset, tandem aliquando Stephani ætate sopitum est, Episcopis universis seu Novatiano faventibus seu Novatianum execrantibus, in mutuum concordiam adductis. Ita intelligendum Dionysium Alexandrinum Eusebium judicat, dum scribit, *hoc ipso in Capite: Dionysius igitur ubi longum Sermonem cum Stephano per Litteras de hac controversia contulit, tandem declarat, quo pacto persecutionis studium sedatis, omnes ubique Ecclesie, nova ac perversa Novatiana heresis parvitate repudiata, pacem inter se conciliaissent.*

Quam infeliciter calculum hac occasione posuerit Baronius, ineluctabili argumento colligimus ex eodem S. Dionysio Alexandrino, cujus sibi patrocinium arrogavit. Is siquidem in Epistola ad Sixtum Rom. Pont. Stephanum Successorem data, cujus fragmentum Eusebium exhibet *lib. 7. Hist. Eccles. Cap. 4.* errori rebaptizantium palam aperteque suffragatur: Concilia Iconiense & Synadense, ubi error ille sub Firmiliano definitus fuerat maxime auctoritatis Synodos vocat. Qua vero fronte ita Sixto Stephani Successori scribere potuisset, si sedente Stephano ipso, errorem de rebaptizandis hæreticis Orientales revocassent; illasque suas pseudo-Synodos rescidissent? Non ergo sub Stephano, imo neque sub Sixto suum illum errorem Orientales ejurarunt.

Addam etiam nec addidisse pigebit, nequidem tempore Basilii Magni, hoc est anno circiter 360. errorem hunc ab Orientalibus fuisse revocatum. Is quippe Epistola I. Canonica ad Amphilochem, Firmiliani de rebaptizandis hæreticis opinionem amplectitur. Ecclesiamque Cappadociz, cui idem ipse præerat, Catharos, Eucratitas Hydroparastatos & Apotactitas etiam non rebaptizare monet, quamquam ii omnes Evangelicam baptizandi formam integram custodissent. At si Firmilianus eique consentientes Episcopi errorem illum dudum ejurassent: qui ratione id ignorasset Basilii Magnus, qui & ipse Cappadox erat, & Cæsareæ in Cappadocia Episcopus? Quomodo ex Ecclesia sua monumentis palinodiam adeo solemniter decantatam compertam non habuisset? Quomodo consuetudini jam dudum antiquata fuisset obsecutus? Fingunt itaque est quod nobis Baronius obtrudit, de retractato sub Stephano Summo Pont. rebaptizantium errore, ab Episcopis Asiaticis.

Historicum Purpuratum felicit factam singulari ab Eusebio relato *lib. 7. Hist. Eccles. Cap. 8.* Hominis scilicet ab Hæreticis baptizati, neglecto Ecclesie Catholice ritu. Quem cum Dionysius Alexandrinus rebaptizare jure potuisset, quippe qui irrita baptismate fuerat initiatus, noluit tamen, donec Sixti Romani Pont. sententiam, efflagitasset, ne videretur (sic enim consilia ejus Baronius interpretatur) vel levi aliqua suspitione perstrare in Sententia de rebaptizandis Hæreticis. Quam agendi rationem minime tenuisset, nisi prius in Sententiam Stephani descendisset. Hoc, inquam, factum Baronium felicit, seu potius eo facto cæteros fallit Purpuratus historicus: Omnia quippe miscet, & in contrarium sensum detorquet, ut inde Sententiæ sue præsidium petat. Non enim de viro ab Hæresi ad Ecclesiam novissime accedente, quem certo, constaret fuisse ab Hæreticis baptizatum neglecta Canonica forma, quæstio erat, dum S. Dionysius Sixtum Rom. Pont. consuluit: sed de scrupuloso quodam ac delitro sene, qui num fuisset ab Hæreticis debite

(a) Apud Tournelii pag. 222. de Sacram. in Genere.

(a) Apud Tournelii pag. 227. de Sacram. in Genere. (b) Apud eund. ibid.

tinctus ambigebat, quique ad Communionem Ecclesiasticam, jam ante annos admodum multos, receptus fuerat, etiam ante Beatum Heraclam, cui in sede Alexandria Dionysius proxime successerat. Quare quod illum inconsulto Sixto R. Pont. tingere Dionysius nolet, non ex conditione suscepti baptismatis oriebatur, sed quia jam dudum ad Communionem Ecclesiasticam a suis decessoribus fuerat. Nolebat enim Sanctissimus Præful in acta decessorum suorum inquirere, & quæ ab ipsis gesta essent rescindere; putabatque diuturnam illam Communionem, quæ fuerat cum fidelibus sociatus ille Senex, satis habere vitioni ad ejus animum purgandum. Audi verba Dionysii in ea ad Sixtum Epistola: *Nam qui gratiarum actiones audierit, qui amen una pronunciauerit, qui adhibisset mensæ, qui manus ad Sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud receperit, qui tam longo tempore fuisse corporis & sanguinis D. N. Jesu Christi particeps, ejus baptismum non audebam de integro renovare.* En quid scrupulum Dionysio moverit, non præconcepta sententia de valore baptismatis ab Hæreticis ministrati. Perperam igitur ex eo scrupuloso sensu facta, extendere Baronius nititur; Africanos ætate S. Dionysii Alexandrini, una cum ipso pristinam de rebaptizandis hæreticis Sententiam correxisset.

Quandonam ergo, inquit, correxerunt? Dicam breviter nullum distinctum tempus præfari posse; Viri similes tamen esse, correxisse circa annum 370. quod rebus inter sese mutuo collatis extundere facile est. Non deposuerant etenim anno circiter 360. quo Basilius Magnus suas ad Amphylodium Epistolas dederat, ut ostendimus; deposuerant vero diu antequam Augustinus Donatistas scriptis exagitarerit anno circiter 390. uti ex ipsa Donatistarum confessione colligimus apud Augustinum lib. 3. contra Cresconium Cap. 2. Ii siquidem fatebantur, *Majoras suos judicium suum rescidisse, quo eis placuerat de ista baptisati questione cum D. Cypriano sentire.* Necessè igitur est, ut ea ætate temporum errorem correxerint Africanos, quæ a tempore Basili Magni ad Amphylodium scribentis, ad confutationem Donatistarum effluxit: ab anno videlicet 360. ad annum 390. Quam verisimile sit, errorem uno eodemque momento extinctum non esse, sed sensum finem sensu: prout Ecclesiæ Præfules, Canonum Concilii Nicæni 8. & 19. (a) sensum examinarunt; erroremque rebaptizantium per legitimam consequentiam proscriptam interioverunt.

In sequenti curiosam questionem agitabimus de Concilio plenario, cujus auctoritatem Donatistas rebaptizantibus toties opposuit Augustinus. Num scilicet eo nomine Arelatense primam, an verius Nicænum intelligendum veniat?

PRÆLECTIO X.

Quodnam fuerit Plenarium illud Concilium, cujus auctoritatem Donatistas rebaptizantibus toties Augustinus opposuit, queritur, explicatur.

Cypriano ac Firmiliano, cæterisque Africanis & Asiaticis Episcopis, qui hæreticos denuo baptizandos propugnarunt, vocatis ad superos; ipsoque etiam errore a Concilio Nicæno & Arelateni reprobatum; eundem illum Donatista malo in Ecclesiam animo suscitatur. Ecclesiæ causam egit D. Augustinus, pugnavitque pro aris & focis, libris septem. eo de argumento adversus Orientis hæreticos adornatis. Porro inter innumera,

quibus recusum errorem exagitat, argumenta, Concilii cujusdam plenarii auctoritatem sæpius urget, cujus Canonibus causam hanc eliquatam dicit ac definitam; nupiam tamen suam illud Concilium plenarium, distincto urbis nomine nuncupavit. Hinc apud viros critica scientia peritos orta lis est, quodnam illud tandem esset. De duobus duntaxat quæstio vertitur, de Nicæno videlicet primo, & de Arelateni eidem primo. Cum enim utrumque de hæreticis minime rebaptizandis sententiam dixerit, antequam cum Donatistis manus confereret Augustinus, illud quidem Can. 8. & 19. titul. Can. 8. alterutrum a Sanctissimo Doctore appellari necesse est. Cætera quippe Concilia, ante motam Donatistis licem illam celebrata, ut Constantinopolinum I. & Sardicenses, Controversiam de rebaptizandis hæreticis nullatenus attingerunt, ut appellari ab Augustino poterint.

Qua in re ut dicam ipse quod sentio, ita de celebri controversia statuo: Nominè Concilii plenarii, cujus auctoritatem adversus Donatistas toties urget Augustinus, Nicænum I. intelligendum venit, non Arelatense. Augustinus enim suum illud Concilium, in quo errorem rebaptizantium proscriptum ait, non plenarium duntaxat vocat, sed plenarium totius orbis Concilium, lib. 1. contra Donatistas Cap. 7. *Plenarium Universi Christiani orbis Lib. 2. Cap. 3. Plenarium universæ Ecclesiæ omniumque regionum Cap. 4.* At nota illa in Nicænum Concilium apprimè cadunt, quod generale, & Œcumenicum fuit, ex universis totius orbis Episcopis congregatum, ut nemo nescit: Minime vero in Concilio Arelatense primum, cui potissima Concilii Œcumenici dotes defuerit, utpote cui nec sese, nec per Legatos præfuit Romana Ecclesiæ Pontifex; nec ex universo Orbe Catholico convocatum fuit, sed ex quibusdam duntaxat Provinciis Occidentis, ad causam Concilii Carthagenensis Episcopi cognoscendam. Nicænum igitur, non Arelatense Concilium eo nomine intellexit Doctor Sanctissimus.

Et vero locis aliis bene multis, Concilii Arelatenis distincte meminit Augustinus, maxime vero Epist. 162. ad Eleusium, Epist. 68. ad Januarium: lib. 2. con. Linceras Perihiani Cap. 91. & lib. 4. contra Cresconium Cap. 7. (b) Nusquam tamen Concilii plenarii nomen illi arrogat, sed Judicium Episcopale duntaxat appellat: quamquam illius instituto conducere maxime, grandia illi nomina tribuere, illiusque auctoritatem amplificare; cum ejus suffragium adversus Donatistas, alterius questionis occasione, regeret. Sed neque id satis; non modo Concilii plenarii titulum Arelateni Concilio nupiam detulit Augustinus, verum etiam Arelatense Concilium plenario Concilio opposuit Epist. 262. (c) Ubi Donatistarum obliquas artes fugillat, quod a Romano Concilio sub Melchiade Rom. Pont. celebrato damnati, ad Imperatorem provocassent, qui causæ illorum discutendæ provinciam Concilio Arelateni demandavit; cum potius ad Concilii plenarii judicium provocare debuissent. Quod certe nusquam dixisset aut exprobrasset Augustinus, si Concilium illud Arelatense, uti plenarium agnovisset.

Rursum Augustinus Concilium plenarium, cujus in Donatistas judicium urget in causa de rebaptizandis hæreticis, tantæ auctoritatis esse ait, ut ei dubio procul Cyprianus cum Concilio suis Africanis, & Firmilianus cum Asiæ Conciliis, sine cunctatione cessissent: Ita ille lib. 2. de baptismo Cap. 3. (d) At si hoc plenarii nomine non

Nicænum, sed Arelatense Concilium intellexisset Augustinus, vereor ut tot Asiaticæ, & Africanæ Concilia, quæ rebaptizandos hæreticos definierant, illius definitioni sponte cessisset: Ut pote quæ tantæ, ne dicam majoris, pro numero confluentium Episcoporum, auctoritatis erant. Ad ea quippe totius Orientis Præfules convenerant Cypriano ac Firmiliano suffragari; non item totius Occidentis Episcopi ad Arelatense convenerant. Verum si plenarii Concilii nomine Nicænum intelligatur, nulla suboriri dubitatio potest, quin ejus judicio Africanis & Asiaticis cessissent, cum illic totius orbis Episcopi convenissent.

Opponunt qui contra sentiunt, Augustino familiare esse, Concilii plenarii nomen iis etiam Synodis attribuire, quas generales, & Œcumenicas nequaquam agnoscit. Sic Concilium Bagajense, quod a Donatistis celebratum est, ut ortum inter eos Schisma sedarere, plenarium passim vocat Augustinus, lib. 2. contra Epist. Parmen. Cap. 5. lib. 2. de Bapt. contra Donatist. Cap. 7. lib. 3. Cap. 2. (a) quamquam illud Œcumenicum non agnosceret. Sic & in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Conciliis Nationalibus solius Africanæ, plenariorum Conciliorum nomen adscribitur, Num. 19. 28. 117. 138. Quid ni igitur, (inquit) Arelatense Concilii plenarii nomine intellexisset Augustinus, quamvis Œcumenicum re ipsa non fuerit; quia ad illud variarum Nationum Episcopi convenerunt?

Equidem id extendi utcumque posset, si Concilium Bagajense, aliæque id genus, quæ Œcumenica non esse constat, plenaria simpliciter, & absolute dicere solitus esset Augustinus; aut etiam, quod rei capat est, si plenaria totius orbis, cunctarum gentium omnium Ecclesiarum, solito nuncupasset: Quibus omnibus titulus Concilium plenarium, de quo in præsentia disputamus, ornavit. At longe aliter se res habet. Concilium siquidem Bagajense, non absolute plenarium vocat, sed plenarium Donatistarum, quia illuc totius Sæcæ Præfules Schisma sedaturi convenerant. Non assimiliter Africanæ Concilia, plenaria totius Africanæ nuncupantur, non absolute ac sine temperamento. Cedo si vel unum ex Augustino vel ex Ecclesiæ Africanæ Codice locum proferant, ubi absolute vocentur hoc nomine: Multo magis, si plenaria totius orbis, cunctarum gentium, omniumque Ecclesiarum inveniantur Concilia aliqua, quæ Œcumenica re ipsa non fuerint.

Sunt qui Concilii Arelatenis I. dignitatem amplificent, ut Concilii plenarii nomen ille absolute ab Augustino concedi potuisse, demonstrent, Illudque ex omnibus Mundi partibus convocatum probant, ex Canone 18. alterius Concilii Arelatenis. At illi mutant quadrata rotundis, remque manifestam inferunt veritati; Certe ex omnibus mundi partibus non fuisse convocatum Concilium I. Arelatense, ex ipsa Constantini Magni, a quo fuerat convocatum, Epistola ad Christum Syracusanum Episcopum, satis liquet. *Plurimos inquit ex diversis, & compluribus locis Episcopos in Arelatensem oppidum, ad Calendas Augusti convenire præcipimus: Ut ex greco Eusebii textu lib. 10. Cap. 5. a Sirmondo latine redditum est. Ubi diversa & complura loca non universas mundi partes numerat Constantinus, e quibus primæ Synodi Arelatenis Episcopi asciti sint. Liqueat hoc idem ex ipsa Epistola Synodica Concilii ad Sylvetrum Papam, ubi se ex diversis Provinciis convenisse profiterentur Episcopi: Cum diverse sint Provincie, inquit, ex quibus advenimus &c. Non*

Serry Tom. IV.

igitur ex universis Arelateni adveniant. Quod ita profecto notum exploratumque est; ut illos in historia Ecclesiastica hospites profus ac peregrinos esse oporteat, qui aliter effugerint. Quod ergo Canone 18. alterius Synodi Arelatenis observatur, *ex omnibus mundi partibus Episcopos convenisse, exaggeratione quadam dictum est, ut Ecclesiæ Arelatenis dignitas commendetur: unde & hoc temperamentum addidere, & præcipue Gallianis; Quod minus congrue notaretur, si partes orbis universas intellexissent absolute.*

Alterum ex Topographia argumentum repetunt adversæ partis actores. Augustinus (inquit) lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 88. (b) Concilii plenarii nomine, in quo quæstio de baptisate hæreticorum finita est; Concilium ali-quod transmarinum intellexit, hoc est Transmare celebratum. Scribebat porro Augustinus in Africa, cujus comparatione Arelatenis Concilium Transmarinum est, minime vero Nicænum. At id tam falsum est, quam quod maxime: Nicænam Urbem, Africanæ quoque comparatione, Transmarinam esse, non modo Topographi notant, verum etiam Augustinus ipse lib. 2. contra Cresconium cap. 37. (c) oblique observat. Cum enim inter Ecclesiæ Transmarinas, quarum auctoritatem adversus Donatistas urgebat, Bythinia Ecclesiæ recenseat, Nicæna vero, quæ Nicæno Concilio nomen dedit, Bithiniae civitatibus adnumeretur; consequens est, Nicænum Concilium Transmarinum fuisse Africanis; adeoque nomine universalis & Transmarini Concilii, ubi rebaptizantium profligatus est error, a S. Augustino intelligi potuisse.

Ultimam ex utriusque Concilii Canonibus impressionem faciunt Nicæni Concilii oppugnatōres. Nullus, inquit, in Concilio Nicæno Canon extat, quo Donatistarum Anabaptismus damnetur, aut quo sanciat, omnium hæreticorum baptismum ratum esse. Contra illos vero, in Concilio Arelateni primo, Canon octavus discretissimus editus est: *Plenarium itaque Concilium, in quo quæstio de hæreticorum baptismate finita fuit, Arelatense est, non Nicænum.*

Quin adversus errorem illum singularis Canon in Concilio Arelateni sit editus, non imus inficias; Neque enim ea de causa ab Augustino appellari contra Donatistas potuisse, diffitemur. Cæterum nullum in Nicæno ea de re Canonem editum esse, hoc vero perfractè negamus. Etenim Canone 8. decretum est, Novatianos ad Ecclesiam reduces, cum sola manuum impositione reconciliatoria recipi oportere, nullo iterato baptismate, quod nempe Novatiani verbis Evangelicis, ritumque debito suis tingerent: *Canone autem 19. sancitum est, Paulianistas ad Ecclesiam confugientes, baptizandos esse, quod videlicet Evangelicum baptizandi ritum nullatenus observarent. An non, quæso, ex duobus illis Canonibus mutuo collatis istud aperte conficietur, baptismum hæreticorum, ritum Evangelicum observantium, quales Novatiani erant, ratum esse, ac minime iterandum: Eosque solos secundo tingendos esse, qui debitam baptismi formam, uti Paulianistæ, violassent?*

Quorum ergo, inquit, si veritas hæc in Concilio Nicæno decisa erat, Basilius Magnus Concilio Nicæno posterior Epist. 2. Canonica ad Amphylodium scribebat, oportere plures Episcopos simul convenire, & Canonem condere, an baptismum Encrutarum, Saccophororum & Apotachitarum probandum esset aut rejiciendum? Profecto

D d d

(a) Apud Tournelii de Bapt. pag. 105. Venetiis 1739. (b) Lugduni 1559. (c) ibid. ut sup. (d) Ædit. Lugduni 1559.

(a) Ædit. Lugduni 1559. (b) Lugduni 1559. (c) Ædit. ut sup.

cur ita scripserit, laud satis scio: hoc tamen mihi certum, id argumentum in adversarios reperi posse: quorum ita Basilius scripserit, si jam eliquata ac finita quaestio fuerat in Arelateni Concilio, quod cunctarum gentium, totius orbis, omniumque Ecclesiarum vocaverit Augustinus? Non ergo perspicua neganda sunt, quia alia obscura sunt: Nec negandum, quaestionem hanc a Nicæno Concilio decisam esse, quia vix satis intelligi possit, cur novum ea de re Episcoporum Canonem Basilius postulaverit. Dicam tamen, id forte Basilius postulasse, quod rebaptizantium error non distincte ac nominatim in Concilio Nicæno damnatus esset, sed per legitimam duntaxat consequentiam ex 3. & 19. Canone derivatam. Fieri quippe potuit, ut S. Basilius ad eam consecutionem minus adverteret; quam Patres S. Basilio posteriores, quos excitata a Donatistis controversia attentiores fecit, secuis temporibus observarunt.

In sequenti Prælectione, de Ministro necessitatis disputatio fiet. Num scilicet a Laicis ac etiam mulieribus baptismi Sacramentum instante necessitate conferri possit.

PRÆLECTIO XI.

Ecclesiam omnes ac singulos etiam de populo, mares ac foeminas, Hæreticos, Judæos & Ethnicos sufficientes baptismi conferendo Ministros agnoscerent, ubi extrema necessitas urget, probatur atque defenditur.

Diximus in hanc diem de eo baptismatis administro, quem ordinarium Schola vocat, cui nempe ex Officii præsertim incumbit, sacrum lavacrum ordinario jure ministrare: Nunc tandem de Ministro necessitatis dicendum venit; De illo inquam, qui cogente necessitate, ubi alterius copia non suppetit, regenerationis Sacramentum conferre potest. De duplici porro personarum conditione movetur quaestio, possint ne Ministri necessitatis esse: de mulieribus scilicet, ac de infidelibus minime baptizatis, Judæis scilicet atque Gentilibus? De illis enim dubitatum est olim, possint ne adigente necessitate, atque ubi non est ordinarii Ministri copia, Sacramentum baptismatis ministrare.

Quocirca Ecclesia Catholica neminem hujusce administrandi Sacramenti facultatem destitutum existimat; sed omnes ac singulos etiam de Populo, mares ac foeminas, hæreticos, Judæos, & Ethnicos, sufficientes baptismi conferendo Ministros agnoscat, ubi extrema necessitas urget.

Ita tamen ut hunc inter illos servari ordinem velit: Ut nimirum absente Presbytero, cui jus illud assertum est, Diaconus si forte cum aliis præsto sit, cæteris præponatur, in sacri baptismatis collatione, Clericus Laico, Vir Mulieri, Monogamus bigamo, fidelis infideli.

Fatendum nihilominus bona fide, omnes ac singulas hujusce assertionis partes, non æque præcis Ecclesiæ Patribus innouisse. De mulieribus enim, nec non etiam de iis, qui sacro baptismate tincti non sunt, ut Hebræi atque Gentiles, quaestio fuit olim, num ratum validumque baptismum conferre possent, Patribus nonnullis id perfracte negantibus.

Et quidem Tertullianus austeri supercilii vir, & mulieribus parum propitius, hanc illis facultatem baptizandi admittit, quantalibet necessitas urgeat, lib. de baptis. cap. 17. (a) neque enim au-

diendi veniunt Theologi illi, qui ut Tertullianum benignius exponant, eum de solemnibus baptismatis administratione locutum ajunt, quasi hanc unam mulieribus denegarit, non alteram, quæ præcis solemnitatibus privatim cogente necessitate peragitur, futilis excusatio illa est. Enim vero, cum Tertullianus facultatem eo loci mulieribus denegatam, viris laicis largiatur illatque istis opponat; certo certius est, eum non de solemnibus, sed de privata baptismatis collatione intelligendum esse. Alias æquâ forte Viros Laicos ac mulieres conferendi baptismatis potestate exuisset.

De Augustino explorata quoque res est, illum usque adeo subdubitasse, num baptismus ab homine non baptizato collatus, iterandus esset, atque adeo irritus esset habendus, ut Concilium Oecumenicum, ad hujusce quaestionis eliquationem, celebrandum optaverit: lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 12. & lib. 7. de bapt. cap. 53. (b) Imo si genuinum integrumque est Caput: 94. libri 5. Capitularium Regum Francorum, exploratum erit, usque adeo baptismum a viro non baptizato collatum nullum olim fuisse habitum in Galliis, ut etiam iterandus decerneretur, dum ab eo bona fide collatus erat, qui semetipsum baptizatum putabat, & in Ecclesiæ communione versabatur, qui tamen baptizatus re ipsa non erat. Ita quippe eo in capitulo sancitum est: Si quis Presbyter ordinatus desuperbenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizavit, baptizentur. Verum an integrum sit caput illud, ambigitur; quamquam enim isdem omnino verbis legatur apud Burchardum lib. 4. cap. 74. & apud Ivonem Carothensem parte 1. cap. 268. (c) Ea nihilominus verba, quæ rei summam consiciunt: baptizentur omnes, quos prius baptizavit, apud Gratianum expuncta sunt, causa 1. qu. 1. cap. si Presbyter. Item extra, de Presbytero non baptizato Cap. Si quis Presbyter. Unde Antonius Augustinus, in Notis, ad primam collectionem decretalium, monet verba hæc recte omissa esse a Bernardo Papiensi, & a D. Raymundo.

Ut ut est, Catholica veritas certa & indubitata est, posse mulieres, ipsosque etiam infideles non baptizatos, baptismi Sacramentum administrare, urgente necessitate; hisque nititur fundamentis, quæ rem extra omnem dubitationis aleam ponunt; Ex quo potissimum tempore, Concilium Oecumenicum, ejus definitionem ea in causa desideraverat Augustinus, ultimum excitatione olim controversiæ sigillum posuit. Utque de prima conclusionis hujusce parte dicam ordine primo.

Mulieres adigente necessitate Baptisma ministrare posse, plus satis evincit exemplum Sephoræ Uxoris Moyis, quæ periclitantem filium circumcidit Exodus 4. Cum enim non alia de causa id sibi urgente periculo licitum fecerit Sephora, quam quia supremæ necessitatis Sacramentum circumcisionis erat filiis Hebræorum; quidam pari jure ministrare legitime mulieres nostræ poterunt, cujus non æqua modo, sed multo gravior necessitas nobis incumbit? Frustra vero, ut illud argumentum elidat, reponit Calvinus, Sephoram ob istud facinus attentatum, dedisse poenas; quandoquidem lib. 2. Mach. cap. 6. duæ mulieres celebrantur, quod fervente persecutione Antiochi filios suos circumcidissent.

Confirmatur hoc idem ex Canone super quibus, causa 30. quest. 3. Ubi Urbanus Papa ita respondet. Super quibus consulti nos tua dilectio, hac videtur

detur nobis ex sententia respondendum, ut & Basilius ratus sit, si instante necessitate femina vitium in nomine Trinitatis baptizaverit.

Addunt nonnulli Concilii Carthagenensis Canonem 110. Ubi ita legunt, mulier baptizare non presumat, nisi necessitate cogente: quasi mulieribus conferendi baptismatis facultatem faciat S. Synodus, ubi necessitas incumbit: Verum exceptionem illam, nisi necessitate cogente, non habent probati Conciliorum Codices, tamen Gratianus eam exhibeat Cap. Mulier dist. 4. de Consecr. Unde objectionis loco potius habendus est Canon iste, quam probationis. Felicius in hujusce veritatis confirmationem asseri possent veterum Conciliorum atque Pontificum decreta, nec non etiam SS. Patrum oracula: maxime vero S. Augustini lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13. S. Hieronymi in Dialogo contra Iulianum. Iudori lib. 2. de Offic. cap. 24. Gelasii Summi Pont. Epist. 1. (a) Quibus omnibus visum est, baptismum a quovis Laico collatum validum esse, nulla inter Laicos Sexuum distinctione posita: quod minus prudenter actum videri possit, si solis viris, non item foeminis facultas illa conveniret. Et quidem in Christo non est masculus neque femina, ut ait Apostolus ad Coloss. 3. Sicut ergo masculus Laicus baptizare potest, quia Minister Christi est, de quo Joannes ait, hic est, qui baptizat, ita etiam femina; Cum ea facultas a nullo Characterè, nulla inauguratione dependeat.

Rationem assignat Doctor Angelicus 3. part. q. 67. Art. 3. (b) Quia ad misericordiam Dei omnes homines salvare volentis attinet, ut in his quæ sunt ad salutem penitus necessaria obtinendis, homo facilem viam habeat: nihil porro ad salutem necessarium magis sacro baptismate: Divinae misericordiae maxime congruebat, ut facilitam ad illud obtinendum pararet viam; quod alia ratione evenire non potuit, quam indifferenter omnibus facultatem baptismatis conferendi concedendo, ubi necessitas urget, nulla sexuum discretione constituta.

Paræ catholicae assertionis altera, quæ validum baptismum contendit, ac infidelis non baptizato, hoc est ab Hebræo vel Gentili collatum, æque firmis stat fundamentis.

In primis enim, cum ea baptismi conferendi potestas a Characterè, aut a fide ministri minime pendeat, uti occasione celeberrimæ controversiæ de rebaptizandis hæreticis a Concilio Nicæno, Arelateni, Capuano, & Constantinopolitano sancitum est, perinde ab hebræo atque gentili conferri valide poterit, si modo Trinitatis invocationem verbis saltem adhibeat. Ita plane statutum est, Cap. Romanus dist. 4. de Consecr. Romanus Pontifex, inquit, non hominem, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismatis judicat, licet Paganus sit qui baptizat. Et cap. a quodam, eadem dist. quod est Nicolai I. Responsum ad Consulta Bulgarorum, A quodam Judæo, usque istis utrum Christiano an Pagano multos in vestra patria baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consultis: hi projecto si in nomine SS. Trinitatis baptizati sunt, constat eos non esse denovo baptizandos. Hinc lib. 5. Capitularium Regum Franc. cap. 6. Si quis baptizatus est a Presbytero non baptizato, & S. Trinitas in ipso baptismi invocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius Papa dixit: Impositione nec manus indiget. Gregorius Episcopus Romanus, & Joannes Sacellarius sic senserunt.

Quæ cum ita sint, si quæ forte occurrunt Decreta Pontificum, quibus ii secundo baptizari de-

cernuntur, qui a paganis tincti fuerant; uti videre est in Cap. quos a Paganis dist. 4. de Consecr. Epist. 1. Gregorii III. ad Bonif. cap. 5. lib. 7. Capitularium cap. 401. eo sensu accipienda veniunt, ut iterandum baptismum illum edixerint, in cuius collatione Trinitas invocata non fuerat: aut certe ita Economiz causa sancitum est, quia gravissima suspicio suberat, ne ea invocatio omiffa esset ab iis qui ejus fide nequaquam imbuti sunt. Id ni dicamus, secum ipsi pugnabunt Romani Pontifices.

Duo sunt quæ in oppositum regerit Joannes Calvinus. Primum; Christum Dominum solis Apostolis, non item Laicis dixisse Mat. ult. docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Secundum; D. Epiphanium hæresi 42. quæ est Marcionis, illud inter cætera hæreses illius capita numerare quod Baptismum a mulieribus dari permitteret.

Nos utrumque facile extricamus. Primum quidem: Christum Dominum solemnem baptismatis administrationem solis Apostolis demandasse, dicimus; tamen privata ejusdem administratio, atque ubi necessitas urget, a Laicis perfici possit. Id ex duplici capite confirmatur. Primo; Quia Christus baptismatis collationem cum Divini Verbi Prædicatione conjungit, & utramque demandat Apostolis: Docete, inquit, omnes gentes baptizantes eos: at id non obest, quominus privatis quibusdam in casibus, atque ubi necessitas incumbit, Dei verbum privatim nunciari a Laicis, atque etiam a mulieribus possit. Imo Actuum 18. 21. 26. fertur, Aquilam virum Laicum, & Priscillam Uxorem ejus, Dei verbum Apollini nunciassè, eidemque viam Domini exposuisse: quid ni quoque hoc idem de baptismum dicamus, salvo Christi Domini Oraculo? Secundo; Quia si quævis baptismatis administratio etiam privata solis Apostolis demandata esset a Christo; Non modo laicis interdicta esset, verum etiam & omnibus, qui Episcopali, aut certe Sacerdotali inunctione destituti sunt: si quippe duntaxat, Apostolis successisse dicuntur; At baptismum a Diaconis saltem ministrari posse testatur sacra Litteræ. Actuum 10. & 13. Quin etiam tantum abest, ut baptizandi munus solis Apostolis conceditum esset; ut potius id muneris aliis Apostoli delegarent, ut uni Prædicationi Evangelicæ incumbere. Unde Apostolus 1. ad Cor. 1. Non misit me Dominus baptizare, sed Evangelizare. Ac quamquam universum orbem, Dei verbum disseminando, peragravit; neminem tamen sacro baptismate tinxit, præter Cajum, & Crispum, & Stephanæ domum.

Alterum ex D. Epiphaniæ petitum argumentum minus urget: (c) Marcionite enim, quos ille merito carpit, solemnem baptismatis administrationem mulieribus adjudicabant: atque idcirco severam Sanctissimi Doctoris animadversionem merebantur. Nos longe aliter, qui hanc eis conferendi baptismatis veniam facimus, ubi suprema necessitas incumbit; atque ea etiam lege, ut a celebrandis caeremoniis ad solemnitatem artinentibus sibi temperent, easque ordinariis Ecclesiæ Ministris, si per tempus liceat, adhibendas referent.

Exoluta nunc tandem de baptismi Ministris tractatione, de suscipiendis dicemus in sequenti lectione; ac primo de parvulorum baptismum contra Anabaptistas disputabimus.

(a) Apud Tournellii de Bapt. Edit. Veneta 1739.
(b) Edit. Parisiis 1560. (c) Vide Tournellii.

(a) Apud Tournellii Edit. Veneta 1739. (b) Lugduni 1592.
(c) Apud Tournellii de Bapt. Edit. Veneta 1739.

PRÆLECTIO XII.

Parvulos etiam recentes ab Utero, suscipiendo baptis-
mati idoneos esse adversus Anabaptistas propu-
gnatur; eorundemque ritum occurrunt.

Dum pro tuenda puerorum causa, adversum
Anabaptistas disputamus; multis clientibus,
qui causam suam orare non possunt, nostram ad-
vocationem accommodamus. In hoc enim Ana-
baptistarum situs est error, quod Pueros nondum
rationis usum assecutos; suscipiendo baptismati
improvisi idoneos dicitur; donec eam ætatem atti-
gerint, qua fidei nostræ Mysteriis probe imbuti;
regenerationis Sacramentum per se ipsimet pos-
sunt. Errorem hunc jam a quinto Christiani
nominis sæculo enatum esse indicat Canon 2. (a)
Concilli Milevitani, ubi ita ab Ecclesiæ Africa-
næ Præsulibus sancitum legitur, placuit ut qui-
cumque parvulus recens ab Uteris matrum; bap-
tizandus negat, Anathema sit. Cui quidem defini-
tionem occasionem dedidit Nebulones aliquos, ita
jam tunc missitantes, verisimillimum est. Quare
aberrant ii toto ostio, qui errorem hunc undeci-
mo duntaxat sæculo disseminatam arumant, quo
tempore a S. Bernardo confutatus est *Sermone 66.*
in Cantica, nec non etiam *Epist. 240.*

Utrumque tamen de hujus erroris natalibus se-
res habeat, ex insuavis cineribus denuo suscitatus
est error anno 1527. quo Balthasar Pacimonta-
nus veterem cramben recoxit, suffragantibus mi-
nistris Transylvanis, qui pessifero per Germaniam
vulgato libello, momenta triginta sex procude-
runt, ut parvulos nondum rationis usum exper-
tos, sacro lavacro initiari non posse demonstra-
rent. Quin etiam eos inter recentiores Anabap-
tistas, non pauci numerabantur, qui baptismum
anno duntaxat trigesimo, ad Christi Domini imi-
tationem, suscipi oportere dicitarent, quos inter
Michael Servetus principem locum obtinebat. Er-
rorem hunc sin minus aperto Marte, saltem obli-
que refoverunt Desiderius Erasmus, & Ludovicus
Vives; Ille quidem in *Præfatione Paraphrasis in
Mattheum*, ubi homines in infantia baptizatos,
dum adoleverint, interrogandos esse docet, an ra-
tum habeant, quod ipsorum nomine in baptismo
promissum est, & si ratum non habeant, uti non
baptizatos esse dimittendos. Alter *Annotatione in
cap. 27. lib. 1. de Civit. Dei* audacter pronunciat,
neminem olim, præterquam in adulta ætate, ba-
ptizari consuevisse, qua & baptismum nosceret,
ac per se effugaret.

Nos pro Officii ratione, fidei nostræ Caput ad-
versus Anabaptistas propugnandum aggredimur;
Mutis animulis, quæ pro se loqui nesciunt, lin-
guæ, ac vocis officium commodamus; uno verbo
Infantulos etiam recentes ab utero suscipiendo ba-
ptismati idoneos demonstramus, simulque Anaba-
ptistarum momenta convellimus. Facit in hujus
veritatis probationem circumcisionis exemplum,
quæ in veteri lege nostro baptismati respondebat.
In ea quippe venturum Messiam Hebræi profite-
bantur, quemadmodum & nos Messiam incarnati fi-
dem in baptismo profitemur. At tamen fidei
professio in Circumcisione fieret, id non oberat
quo minus pueri octo dierum circumciderentur
parentibus scilicet illorum vice ac nomine fidem
profiterentibus: quid itaque verat pueros bap-
tismatis Sacramentum suscipere, fidemque Incarnati-
onis in illius susceptione profiteri parentibus illo-

rum vice profitentibus? Atque idcirco nutat potis-
simum Anabaptistarum argumentum. Ideo enim
pueros rationis usum nondum assecutos, suscipien-
do baptismati minus idoneos dicitur, quod fi-
dem per se profiteri non possint, quasi sit illud
absolute necessarium: nec satis abunde sit, si fi-
dem suam gestantium & offerentium ore profite-
antur: ut loquitur Augustinus.

Accedit Christi Domini Sententia *Joan. 3. Ni-
si quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non
potest introire in regnum Dei*; cujus rationem sub-
jungit, quia *quod natum est ex Spiritu, Spiritus
est*: Quasi dicat, nemo eorum qui carnales ex
carnali origine nati sunt, regnum Cælorum ob-
tinere potest, nisi Spiritualis evadat ex Spirituali
regeneratione, quæ baptismatis beneficio obtine-
tur. Aut ergo dicendum, pueros Regni Cælo-
rum obtinendo incapaces omnino esse, aut esse
baptismati suscipiendo etiam idoneos. Porro posse
parvulos Regnum Cælorum adipisci, etiam
quo tempore nondum ratione utuntur, Christus
ipse significavit *Matth. 19.* dum inquit, *Sinite
parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire,
talium est enim Regnum Cælorum.* Quomodo enim
Regnum Cælorum adipisci non possent ii, quo-
rum Regnum Cælorum esse dicitur? Is robor
addit quod identidem in Actibus Apostolorum
observamus, integras feliciter familias sacro ba-
ptismate tinctas esse. Sic *Cap. 16.* dicitur Lydia
baptizata, & *Domus ejus tota*. Sic de Custode
Carceris ibidem legitur *baptizatus est ipse, &
omnis domus ejus continuo*. Similiter Paulus I. ad
Cor. I. baptizavit, inquit, *Stephana domum*, ac
in integris domibus rarum profecto est, ut non
sint Infantes aliqui, qui idcirco una cum cæteris
lustrabantur.

Sacris Scripturarum Oraculis adstipulatur majo-
rum traditio, jam a primis Ecclesiæ Sæculis, cu-
jus testes omni exceptione majores proferuntur S.
Irenæus *lib. 2. adversus hæreses Cap. 39.* S.
Justinus in *Cohortatione ad Græcos*, S. Basilium in
oratione adhortatoria ad baptismum, S. Chryso-
stomus *homilia ad Neophitos*, S. Hieronymus *Di-
alogo 2. contra Pelagianos*, qua quidem traditione
memoria proditum est, primis Ecclesiæ Sæculis
pueros baptizari solitos fuisse. Omnibus vero ex-
plicatius rem ipsam definiunt duo Ecclesiæ Gre-
cæ & Latine lumina: Origenes nimirum, cujus
hæc verba sunt *lib. 5. in Cap. 6. ad Rom. Eccle-
sia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis
dare baptismum*. Et Augustinus *lib. 10. de Genesi
ad Litt. Cap. 23. Consuetudo Matris Ecclesie in
baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec
ullo modo superflua reputanda; nec omnino credenda
esse, nisi ex Apostolica traditione manserit*. Idem
S. Cyprianus *Epist. ad Fidum*. (b)

Secundum hanc traditionem pronunciant Sum-
mi Pontifices, nec differendum in adultam æta-
tem Puerorum baptismati, latis Decretis statue-
runt: Innocentius I. *Epist. 26. ad Concilium Mi-
levitanum*, Leo I. *Epistola ad Episcopum Aquile-
jensem*, Gregorius I. *lib. 3. Epist. 9.* quæ est ad
Joannem Calaritanum, Innocentius III. *Epistola
ad Episcopum Arelatensem*, quæ habetur *capite
majores de Baptismo*. (c). Ex quibus colligere
est, quam falso ac temere pronuncia verit Ludov-
icus Vives, a me paulo antea appellatus, nemi-
nem olim præterquam in adulta ætate baptizari
consuevisse, dum & baptismum nosse possent; ac
per semetipsum postulare. Imo unus tota retro
antiquitate inventus est Tertullianus, qui *lib. de
baptis-*

(a) Apud Tournellii de Bapt. Edit. Veneta 1739.

(b) Vide Natal. Alexand. de Sacri. Bapt. Cap. 7. Edition Venetiis 1725.

(c) Idem ibid.

baptismo Cap. 18. (a) adultam ætatem expectari
oportere significavit, ut baptismus digne suscipie-
retur. At tantum abest, ut cæteris Patribus, ac-
que Ecclesiæ probata fuerit ea Tertulliani Senten-
tia, ut potius in Concilio Africano, ad examen
vocata, proscripta sit, teste D. Cypriano, ipsius
Concilli Præside, *Epistola ad Fidum*. Differen-
dum ad triennium opinatus est S. Gregorius Na-
zianzenus *Sermone de Baptismo*. Verum præter-
quam quod ea Sententia cum Tertullianica æquo
jure damnata videtur, novo insuper, venia sit
verbo, absurdo laborat. Si enim aliqua ratione
differendum esset parvulorum baptismi, maxime
ut ea expectaretur ætas, qua & baptismi virtu-
tem nosse, & fidem in illius susceptione profiteri
possent. Aut ergo in adultam ætatem, qua puer
rationis est compos, differendus est, aut nullo pa-
cto ad triennium differendus: quandoquidem nec
tertio quidem ætatis anno, rationis usum puer ha-
bet, ut & baptismi virtutem nosse, & fidem pro-
fiteri per se possit.

Neque leve est rationum pondus, quibus tota
retro antiquitate Ecclesiæ nixa est, ad baptismum
parvulis conferendum, & Anabaptistarum momen-
ta refellenda.

Prima petitur ex periculo mortis, si baptismus
in ætatem adultam differatur: quam quidem rati-
onem usurpat Concilium Gerundense Sæculo se-
ptimo habitum *Can. 5.* Quot enim ante adultam
ætatem ex hac luce præripiuntur, qui eo contra
peccatum originale delicti remedio, ineluctabili-
ter damarentur?

Secunda petitur ex necessaria aggregatione in
Corpus Ecclesiæ, ad salutem adipiscendam. Ex-
tra Ecclesiam enim nulla Salus est, nec Ecclesiæ
aggregatur aliquis, nisi suscepto baptismate, quod
idcirco Ecclesiæ janua a Patribus nuncupatur.
Aut ergo pueri salutis adipiscendæ sunt penitus
incapaces, aut suscipiendo baptismati idonei sunt.
Maxime vero, cum baptismatis fides, ac deside-
rium, quæ eisdem vicem suppleant, in iis esse
non possint, quamdiu rationis usum non habent.

Tertia ratio petitur ex discrimine justificationis
adultorum, & infantium: Quod illa fiat cum
motu liberi arbitrii, propterea quod meritoria
sit: Ista sine motu, quia meritoria non est.
Hinc quippe sequitur posse puerum baptismatis
susceptione justificari, etsi nullius actus eliciendi
sit capax: Contra quod Anabaptistæ contendunt;
Qui idcirco pueros baptizari posse diffidentur,
quod nequeant actus elicere, qui necessarij sunt
ad justificationis gratiam suscipiendam dispositio-
nes. Qua in re toto aberrare ostio convincun-
tur.

Quarta ratio ex effectu baptismatis delibatur;
cui percipiendo uti sunt idonei pueri, ita & re-
cipiendo baptismati. Equis enim effectus ille est?
Non alius nisi infusio gratiæ & virtutum: gratiæ
inquam habitualis & virtutum habitualium; ne-
que enim, aut actualis gratia, aut virtutis actus
insufunditur. Habitum vero perinde Capaces sunt,
qui liberi arbitrii usum habent, ac qui illo sunt
destituti. Ut perspicuum fit in dormientibus, qui
eisdem retinentur habitus, quos possident vigilan-
tes; Imo quibus possunt etiam inter dormiendum
novi habitus infundi; uti profecto Salomoni dor-
mienti infusa est sapientia.

Quinta ratio ex generali obligatione profiten-
dæ Christianæ Religionis, quæ certe universis
proflus hominibus incumbit ex divino præcepto,
si velint utique salvi fieri. Unde potissima Ana-
baptistarum ratio enervatur; Ruit potissimum er-

roris fundamentum. Idcirco enim pueros ante
adultam ætatem baptizari non posse contendunt
Anabaptistæ, quia per baptismum contrahitur a
baptizato obligatio proficiendæ Christianæ Religio-
nis; cum tamen (inquit illi) duram obliga-
tionem contrahere nemo possit ignorans ac ne-
sciens; multo minus rationis usum nondum ha-
bens. Porro totum id liquet esse futilissimum, &
quidem ex duplici capite. Primo exemplo cir-
cumcisionis. Tunc enim circumcisus contrahebat
per circumcisionem, obligationem proficiendæ Mo-
saicæ legis; quam baptizatus modo contrahebat
per baptismum obligationem proficiendæ Religionis
Christianæ; at eo nihil obstat, circumcideban-
tur pueri nescientes, ignorantes, usumque ratio-
nis nondum habentes: Itaque nihil vetat pueros,
ante rationis usum baptizari, etsi per baptismum
obligationem contraheant Christianæ Religionis
proficiendæ. Secundo: nulla cuiquam irrogatur in-
juria, dum ea illi imponitur obligatio, ad quam
aliunde divino jure tenetur: at quicumque mor-
taliu[m] divino jure tenetur ad observantiam Chri-
stianæ religionis, imo & ad baptismum suscipien-
dum obligatur, si salvis fieri velit: *Nisi enim
quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non in-
trabit in Regnum Cælorum*: Nulla itaque vis in-
fertur parvulis, nulla irrogatur injuria, dum an-
te rationis usum baptizantur.

Sexta ratio ex natura peccati originalis repeten-
da venit. Illud enim actu a nobis admittum non
est, sed origine tractum; quique eo infecti sunt,
aliena voluntate peccasse dicuntur; non propria.
Quid ergo mirum, si ut eo mundentur pueri,
satis illis est, si fidem aliena gestantium & offer-
rentium voce, ac corde profiteantur, quod in il-
lorum baptismate sit?

Septima atque postrema ratio, ex modo qua
baptisma necessarium dicitur delibatur. Illud enim
non modo necessitate præcepti, sed & necessitate
medij necessarium est: Seu ut Clarius dicam,
non modo necessarium est quia præcipitur; sed
ideo præcipitur, quia unicum post Evangelicam
legem publicatam necessarium remedium est de-
lendi peccati originalis; Esto ergo pueri, imple-
ndi divini præcepti, quod de suscipiendo bap-
tismate datur, sint penitus incapaces; utpote qui vo-
luntatis actum exerere nequeunt; remedijs tamen
suscipiendi idonei sunt. Quidquid vero hac in
parte, præcepti est, ab illorum parentibus imple-
tur, atque tutoribus, qui illos Ecclesiæ baptizan-
dos offerunt, fidemque illorum vice ac nomine
spondent.

Iis ferme momentis Anabaptistarum error pro-
fligatur; quæ omnia idcirco fufe ac distincte pro-
ferre libuit; quia iis ipsis momentis Anabaptista-
rum quoque Sophismata, Cavillationes, Strophæ,
eadem opera refelluntur. Quæcumque enim vel
ex sacris Litteris, vel ex Theologica ratione, ad
muniendum errorem, summo studio congerunt
Anabaptistæ, perpetuo illo laborant æquivoco,
quod eandem puerorum & adultorum conditio-
nem esse putent, eandem in omnibus justificatio-
nis rationem, dispositiones necessarias omnia pa-
res, effectus plane similes arbitrentur. Quod quam
falsum absolumque sit, satis me arbitror demon-
strasse.

Antequam tamen finem dicendi faciam, in-
mendatam præterire omnino non possum nuperi
cujusdam Scribillatoris Patavini insulsiatam, &
ineptiam, qui in misera quadam Scripturacula,
adversus D. Augustinum temere confaricata, vel-
lut erroneum suggillat, & cavillatur, quod SS.
Doctor sæpius inculcat, quodque nos identidem
infi-

(a) Idem ibid.

PRÆLECTIO XIII.

insinuavimus: pueros scilicet baptismate tinctos credere, non per se ipsos quidem; sed per ora parentum, gestantium, & offerentium. Quid hoc est? clamant ineptissimus blatero, Ut pueri salutem baptismate consequantur, necesse non est, ut qui illos gestant, & offerunt, credant: Cum tam multi casu, & sine solemnitatibus baptizentur, qui a nemine gestantur & offeruntur ad baptismum. Vah insulsum Augustini reprehensorem, ineptumque argutorem? Ignorat scilicet, quod in Sacris Christianæ Religionis institutionibus docentur pueri: Illos scilicet parvulos, qui sine Sacramenti solemnitatibus, nullisque fidelibus parentibus aut patrinis offerentibus, casu aliquo baptizantur, Ecclesiæ, cui tunc aggregantur, ore & corde perinde ac cæteros credere: Ipsamque Ecclesiam iis in casibus, fidem pro iis parvulis profiteri, parentumque, ac patrinorum offerentium, atque totorum vices omnino gerere. Quia etiam parentes quoscumque patrinosque fideles, qui pueros offerunt baptizandos, fidemque pro iisdem in baptismo profitentur, ipsius Ecclesiæ nomine pueros offerre fidemque profiteri, adeo ut illos verius Ecclesiæ offerat, quam vel ipsi parentes tutores atque patrini: Offeruntur, inquit Augustinus Epist. 23. (a) ad Bonifacium, ad percipiendam Spiritalem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus, quam ab universa Societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri velle intelliguntur, quibus placet quod offeruntur; Et quorum Sancta & individua Charitate, ad Communionem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo Mater Ecclesiæ, que in Sanctis est, pueros gestat, & offerit, quia tota omnes, tota singulos parit.

In quocumque ergo baptismate credunt pueri per ora gestantium atque parentum; in iis tamen qui casu ac sine solemnitatibus baptizantur, aut qui parentibus infidelibus nati sunt, Ecclesiæ ipsa gestantium, offerentium, atque parentum officium præstat; Sicque sicut inconcussa Augustini Sententia, ab inapto Scribilitate temere vellicata: Pueros per ora gestantium, & offerentium Deo credere. Quod sane eo minus fuggillari debuit, & reprehendi, quod & Sacrorum Conciliorum & Romanorum Pontificum sententia sit. Concilii scilicet Carthaginensis Anno 418. habiti, Gelasi R. P. in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos, Coelestini I. Epistola ad Gallicanos Episcopos. Quibus omnibus communis est Phrasia illa Augustiniana, Pueros sacro baptismate tinctos per ora gestantium, & offerentium Deo credere, Christianique mandatum hoc saltem pacto pueros impleat: Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit &c. Ut plane nemo possit, hanc Augustini Sententiam reprehendere, nisi parem Sacris Conciliis, Summis Pontificibus totique Ecclesiæ calumniam importet: Christianique mandatum iis in parvulis irritum faciat.

Sed hæc ad promulsum tantum adversus ineptum Augustini reprehensorem in presentia dictum volo. In sequenti nova conditura aviditate satiabo: pertractata questione altera, quam adversus eundem SS. Doctorem nimia quorundam curiositas movit, de pueris in utero Matrum inclusis; num & ii baptizari possint ac debeant.

Baptisma Puerorum, in Matrum Uteris omnino & ex integro inclusorum, impossibile, illicitum, & contrarium Ecclesiæ, probatur atque evincitur.

Quæstio nobis hodierna prælectione tractanda venit, quam qui de summa facie duntaxat spectaverit, apertiore fortassis existimabit, quam ut nostram in ea explicanda diligentiam desideret ac laborem; qui vero introspicere curiosus vult, comperiet sane, multas in illius profundo difficultates delitescere; plusque habere in recessu, quam in fronte promittit. Quæstio sic habet: Num puer in Utero Materno, omnino atque ex integro inclusus, baptizari possit, urgente periculo? Puer inquam omnino atque ex integro inclusus in Utero; Si enim aliqua sui parte prodeat, insitque mortis periculum, nihil profecto dubitandum, quin hæc ipsa in parte sit baptizandus. Ita Concilium Lingonense anni 1404. & Senonense anni 1524. Ita Rituale Romanum anni 1585. Institutiones S. Caroli Borromæi, titulo de his que Parochus curare debet, cum tenetur de parit. (b) quibus præluserat Doctor Angelicus in 4. Sent. dist. 6. quæst. 1. art. 1. Hoc tamen discrimine posito, ut si forte, capite prodeunte sit baptizatus puer, & præter expectationem felici tandem exitu nascatur ex Utero, non ultra sit baptizandus, quem liquet fuisse valide baptizatum: Si vero prodeunte duntaxat vel pede, vel manu fuerit aqua lustratus, securo subinde felicitate partu, sub conditione saltem rebaptizetur: de quo dubium esse potest, fuerit ne valide baptizatus iis in partibus.

De puero ergo in matris utero omnino concluso dum loquimur, querimusque, sit ne eo in statu baptizandus, non est nobis cum Juliano PeLAGIANO controversia, qui iniquissimi puerum baptizari posse contendebat, eo ipso baptismate quo Mater illius tingereetur. Quem quidem errorem refellit data opera D. Augustinus lib. 6. contra Jul. Cap. 5. ea maxime ratione, quod puer in Utero Matris quantumvis inclusus, illius pars minime censetur; atque ita abluta Matre, puer nullatenus abluatur; quod tamen ad verum ratumque baptismum necessario postulat.

Neque moveri in oppositum, quod puer in Utero Matris inclusus, Martyr evadat, ea ipsa morte, qua Mater, si pro Christi fide occideretur, Ecquis enim non videat, idcirco tunc Martyrem puerum fieri, quia moriente gravida Matre pro Christo, moritur & puer; at abluta Matre, non perinde puer abluatur, quod ad baptismum necesse est.

Iis itaque longe missis, de quibus nulla est difficultas; nobis est cum nonnullis recentioribus Theologis controversia, qui puerum Utero Matris profus inclusum baptizari posse putant, baptismate utique proprio, quo & vere abluatur, & regeneretur in Christo. Quam Sententiam a Ludovico ScILDERIO lib. de principis conscientiarum. 6. c. 2. & a Georgio Gobatio Societatis Jesu Theologis præformatam Tom. 1. Tract. 2. de baptisni materia Sect. 2. Joannes Clericus Decisione 39. de baptismo, novam in lucem induxit; ac tum demum Scriptor pseudonymus Patavinus, satis tamen aliunde notus, defendit acriter, omnibus quibus potuit phaleris ac pigmentis obduxit; Mulieres obsterices, per quidquid Sacrum & Sanctum est, obtestatur, ut si quando peri-

periculantem in Utero puerum noverint, eundem non expectato partu fatagant baptizare; hujusc rei tentandæ artem non incuriosam illis insinuans.

Nobis longe videtur aliter, baptismumque pueris in Matrum Utero omnino reclusis ministratum, impossibilem dicimus, illicitum, Contrarium Evangelio, Patribus, ac Canonibus, totiusque Ecclesiæ Catholice praxi.

Ac primo quidem, Baptismus ex natura sua spiritualis est regeneratio, & secunda nativitas, Joannes 3. Operes vos nasci denuo &c. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Repugnat porro regenerari eum, & secunda nativitate donari, qui nondum est natus, nondum est genitus; puer igitur nondum natus, fed Materno in Utero omnino, & ex integro inclusus, baptizari non potest salva natura baptismatis.

Eandem illam consecutionem ex hoc ipso principio intulit D. Augustinus Epist. 57. ad Dardanum, & baptismum in Utero collatum, cassum, futilem, impossibilem pronuntiavit; cui adhærere fatius est, quam recentioribus Theologis mala novandi perurine laborantibus. Nemo nascitur, inquit Augustinus, nisi operante concupiscentia carnali, que tracta est ex primo homine, qui est Adam; & nemo renascitur, nisi operante gratia spirituali, que data est per secundum hominem, qui est Christus. Nec renasci quisquam potest antequam natus. Quibus non absimilia habet lib. 2. de peccatorum meritis c. 27. (a)

Ita pariter D. Isidorus lib. 2. Originum. Qui natus adhuc secundum Carnem non est, renasci secundum Christum non potest. Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quam generatio non præcessit. Ita D. Thomas in 4. sent. dist. 6. quæst. 1. art. 1. Baptismus est quedam regeneratio spiritualis: ergo primus homo carnalis, & animalis nativitate nasci debet, quam baptizetur.

Ita pariter Magister Sententiarum eadem dist. Illud etiam ignorandum non est, quod in materno Utero nullus baptizari potest.

Unde, & ea Ecclesiæ lex lata est, Canone, qui in maternis: dist. 4. de Consecr. apud Gratianum: Qui in Maternis Uteris sunt, baptizari non possunt quia qui natus adhuc secundum carnem non est, regenerari secundum Christum non potest.

Quid ad hæc contrarii sistematis Architecti? A D. Augustino, a D. Isidoro, a D. Thoma, a Magistro Sententiarum, adhuc autem, & a Jure Canonico sese alienos profiterentur: seque longe felicitius, & baptismi naturam, & Christi D. verba intellexisse gloriantur.

Quare reponunt, geminam esse nativitatem seu generationem carnealem: Unam quidem in Utero, que ipsamet conceptio est; de qua Luc. 2. dicitur, quod in ea natus est, de Spiritu S. est: alteram ex Utero, qua videlicet foras prodit, qui eumque gignitur: de qua ibidem dicitur, quod nascetur ex te Sanctus; qua posita distinctione subjungunt, renasci ac regenerari posse sacro baptismate, qui prius sit natus genitusque in Utero, etsi nondum sit natus ex Utero.

Pervidit hoc novatorum effugium Doctorum Aquila Augustinus, & in antecessum occupavit: Epistola ante laudata ad Dardanum 57. Quod si quis dicat, jam natus esse hominem, etiam cum adhuc est in Utero matris, quia dictum est de prægnante Virgine Dei Matre, quod in ea natus est, de Spiritu S. est: atque ita huic primo Nativitati, que in Utero facta est, succedere secundam nativitatem, dum quis baptizatur in Utero; caveat ne accipiatur locutione decipiatur. Ita porro præcluditur,

ac refellitur hoc effugium: quia tamen ex Scholæ formula conceptio dici possit nativitas seu generatio in Utero, quia est origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem nature: nihilominus ex familiari loquendi usu, etiam in sacris Litteris usurpato, conceptio nativitas dici non debet. Primo; Quia si conceptio nativitas diceretur, homo natus ex utero, renatus ac regeneratus dicens esset, utpote qui jam duplicem nativitatem habuisset, in Utero unam, ex Utero alteram. Secundo; Quia si sic esset, homo solito more baptizatus postquam scilicet ex Utero natus est, non renatus aut regeneratus dicens esset, ac denuo natus, ut loquitur Scriptura, sed tertio natus; utpote qui ante nativitatem Spiritualem, que baptismate confertur, duplicem nativitatem carnealem sortitus esset. Tertio; Quia ex usu Sacrarum Scripturarum, homines concepti duntaxat dicuntur non nati, uti de Jacob & Esau in Utero Rebecce jam conceptis, dicitur Rom. 9. Cum nondum nati fuissent. Adeo verum est conceptionem pro nativitate non computari. Cum igitur Christus D. familiarem loquendi modum usurpaverit, baptismi legem indicendo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, conceptionem pro nativitate non computavit: adeoque exigendo, ut antea natus sit homo; quam baptizetur, voluit utique ut antea natus esset ex Utero, non solum conceptus in Utero.

Accedit, & altera animadversio D. Bonaventuræ, meo quidem judicio, decretoria. Ut quis baptizari possit, necesse est ut sit natus, non utcumque, velut individuum humane nature, quod fit per conceptionem, sed etiam renatus sit veluti membrum societatis visibilis; Siquidem baptizatur, ut fiat Ecclesiæ membrum, ut antea societas visibilis est. Porro donec homo nascatur ex utero, humane quidem nature individuum est, propter conceptionem, quam jam in Utero sortitus est; at societatis visibilis membrum nondum est.

Neque obest locus Evangelicus de Virgine prægnante, quod in ea natus est, de Spiritu S. est. Arbitraria quippe versio illa est, qua parte Christus conceptus in Utero, natus dicitur; maxime cum Græca phrasia ambigua sit, & anceps: ὁ υἱὸς ἁγίου πνεύματος, ἢ Πνεύματος ἁγίου ἐν τῇ κοιλίᾳ: hoc est, quod in ea conceptum est, formatum est, factum est, animatum est, de Spiritu Sancto est, hæc etenim omnia perinde sonat vox Græca ἁγίου πνεύματος. Cæterum tamen Christus in utero Virginis natus merito dicitur, quia, ut perbelle docet D. Thomas 3. p. quæst. 34. art. 2., in primo sua conceptionis instanti perfectissimum rationis usum habuit, juxta ac si natus esset, atque discretionis annos attigisset.

En primariam D. Augustini, cæterorumque Patrum rationem, ab ipsa sacri baptismatis natura, & institutione petitam, ab importunis Novatorum Suffugiis, & Cavillationibus optime vindicatum.

Succedit altera Doctoris Angelici ratio, que sacri baptismatis administrationem pueris in Utero oclusis, profus impossibilem evincit 3. p. q. 68. art. 11., & in 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 1. Baptismus ex natura sua est ablutio corporis externa; at puer omnino, & ex integro inclusus in Utero, ablui re ipsa non potest. Os enim Uteri teste Galeno, & Hypocrate, imo experientia ipsa magistra, tam arcte clauditur, ac glutinoso, viscoso, & subflavescente humore intime obfiguratur, ut ne aeris quidem, ne dicam aque aditum admittat: quo itaque pacto poterit oclusus intus pupulus ablui?

Audi-

(a) Vide P. Natal. Alexand. de Bapt. Cap. 7. Editum Venetiis 1725.
(b) Apud Natal. Alexan. Editum 1725. De Bapt. Cap. 7.

(a) Apud P. Natal. Alex. de Bapt. Cap. 7. Editum Venetiis 1725.

Audite nunc, rogo vos, ingeniosum Novatorum nostrorum responsum, inventum plane mirabile. Instante partu, reponunt illi, Uterus mulieris paritura paululum incipit aperiri; ac tunc quidem, beneficium certi cuiuspiam instrumenti, a recentioribus Chirurgis adinventi, potest os Uteri ita dilatari, ut manus etiam intromitti queat: quo casu potest obstetrix tenuem spongiolam aqua gravidam inducere, comprimere; eoque pacto parvulum latentem abluere, verbis Evangelicis pronunciatis, quibus baptismatis forma constat. Aut certe, subjungunt, si tanta non est oris uteri capacitas, ut manus intromitti queat; Clisteridio saltem admodum, tenui fistula, tanta intus stillari poterit aqua copia, quanta ablutioni faciendae sufficiat.

Gratulor recentiorum istorum ingenii felicitati, quarum tanta industria factum est, ut Sacramentum baptismatis, Clisteridio ministrare didicerimus; nihil tale Augustinus Doctorum Aquila, nihil tale Thomas Scholiarum Angelus excogitaverant, adinvenerant.

Ego quidem Medicis, & Chirurgis iudicandum relinquo, num ita instante partu os Uteri dilatari, ut vel manus intromitti, vel saltem Clisteridium admoveri facile possit: mihi viro Theologo ac religioso, non licet esse tam curioso. Sit ita tamen, ut volunt curiosi isti exploratores: hoc dico tamen, ne sic quidem ablutionem ad baptismum necessariam fieri posse: ac triplici quidem ex capite. Primo; Quia aqua per spongiolam inducenda, aut per fistulam, & Clisteridium stillanda, a continuis humoribus, & liquoribus, majori copia ex Utero tunc defluentibus, impeditur. Facultas enim, visque naturae tota tunc expulsiōni intenta, extraneum quemcumque liquorem respuit, ac propulsat. Secundo; Si qua forte immitti aqua potest, hæc abundantioribus, ac circumquaque profluentibus ex Utero fetidis humoribus ita commiscetur, inficiturque, ut iam lotionis faciendae sit incapax. Tertio; Idque maxime, quia tamen aqua pura, ac munda, ad internam usque Uteri cavitatem immitti, stillarique potest, nunquam tamen illic oclusum puerum immediate tangeret abluereturque, quod ad baptismalem lotionem desideratur; sed ut ut maxime tangeret abluereturque secundinas atque membranas, quibus fetus tam arcte inclusus est, ut nec externus liquor penetrare intus possit, nec si quis intus est, effluere valeat. His autem membranis ac secundinis nunquam exiit fetus, nisi dum extra Uterum emittitur. Imo iis adhuc involutus fetus, quandoque foras elabatur, dum videlicet tanta orificii & coxendicis angustia non est, (quod futuræ felicitatis indicium reputatur.) Itaque vel ob id solum, etsi alia nulla impedimenta essent, nunquam puer in Utero adhuc inclusus, sufficiens abluere potest, ut illi baptismus conferatur. Ac quemadmodum ex consensu Theologorum, homo sacco coriaceo involutus atque inclusus, baptizari nequit, quod aqua perfundi abluere non possit; ita nec puer membranis ac secundinis in utero involutus.

Reponet fortasse non nemo, posse membranas ac secundinas in ipso quoque Utero dilacerari, atque ita abluere. Sit ita; fieri illud potest, non licet tamen non licet, ob periculum suffocationis pueri, qui eo solo naturæ præsidio, contra circumiacentes humores protegitur, communitur. Nec enim sunt faciendae mala, ut evitent bona, nec violanda naturæ lex est, ut Evangelica impleatur.

Nec est quod mihi quispiam obtrudat, ex duobus malis minus esse eligendum; minus autem malum est suffocari puerum, quam baptismatis Sacramento privari; periculum igitur suffocationis

adeundum est potius, quam puer sine baptismate reliquendus. Non id inquam obtrudi potest. Tunc enim effatum hoc ex duobus malis minus est eligendum, veritatem habet, dum electio locus est, quod in malis poena quandoque contingit, non in malis culpæ; ubi nunquam est optio. Porro puerum suffocare peccatum est, quod eligere nemini licet. Alias pari quoque argucia inferri potest, licitum esse gravidam matrem occidere, ut puer qui periclitatur in Utero, educatur, & baptizetur: quia mors temporalis matris, minus malum est, quam mors spiritualis pueri; ex duobus autem malis minus est eligendum: quod tamen nemo dixerit prudens. Occidio quippe matris, malum culpæ est, de quo non datur electio.

At inquiet mihi aliquis: Satis est, si secundinæ ipsæ atque membranae, quibus involutus est puer in Utero, abluantur, ut ipse baptizatus censetur; Sic enim, si minus immediate, ac certe mediate puer censetur abluus. Eo sane modo, quo in ordinatione Presbyteri, satis est, si Calix qui apud Latinos immedie tangitur, mediate saltem tangatur ab Ordinando; Uti Græci faciliare solent, qui altare duntaxat contingunt, cui est superpositus Calix.

Verum, & id plane frivolum est; Contactum enim aqua immediatum Theologi postulant universi, qui idcirco hominem Sacco Coriaceo inclusum baptizari posse dissentunt. Cujus rei ratio est; quia in baptismate illud corporaliter debet abluere, quod spiritualiter emundatur; puer autem spiritualiter mundandus est, non secundinæ, in quibus nullum est originis vitium. Pueri vero corporalis ablutio non fit, quem aqua immediate non tangit. Longe vero dispar est Ordinationis ratio. Contactus enim Calicis externum duntaxat signum est collatæ potestatis, sacrificii Domini offerendi; Ea vero potestas perinde significatur, seu Calix immediate, seu mediate tangatur: Tam enim contactus Altaris, quam contactus Calicis eam denotat potestatem. At nisi aqua immediate contingat perfundaturque hominem, non abluatur homo.

Quamquam quid ego cum larvis depugno? Si vera sunt, quæ ab iis novatoribus suffragia queruntur, ut puerum in Utero materno proflus inclusum baptizare posse defendant: ab ipso questionis statu desiliunt, aliudque probant quam quod illis probandum incumbit. Si enim instante partu os Uteri ita apertum est ac dilatatum, ut manus de facili possit intromitti, fetusque attingi: si secundinæ, aut naturæ impetu, aut etiam ante dilaceratæ sunt: tunc certe puer non censetur vere ac proprie inclusus in Utero, sed in actu potius egrediendi ex Utero. Uti profecto reus non censetur clausus in Carcere, dum stat ad ostium Carceris apertum ut egrediatur, quam quidem nondum pedem foras extulerit. Nos porro de pueri in Utero matris proflus inclusus in præsentia disputamus, & num eo in statu baptizari possint, inquirimus: a statu itaque questionis procul abscedunt.

Momentis ab auctoritate Patrum ex ipsa Sacramenti baptismatis natura petitis hæcenus depugnāvimus, Ut pueros matrum Uteris inclusos nulla ratione baptizari posse evinceremus. Nunc ad ea momenta gressum facimus, quæ ex Ecclesiæ praxi, & disciplina, ac ipsis etiam prudentiæ legibus petuntur; ne quid intentatum prætermittamus, ad signum illud penitus evertendum.

Et certe, tametsi publica Ecclesiæ Catholicæ praxis, ex Canone, qui in matris, dist. 4. de Consecratione, in antehabitis laudato, satis in aperto posita videatur: patefecit multo magis praxis communis Ecclesiæ ex libris ritualibus Romanis, anni 1585.

1585. part. 1. tract. 1. cap. 6. anni 1598. cap. 3. de baptismo, anni 1618. sub Paulo V. cap. 4. de baptizandis parvulis: Ubi distinctis verbis, de pueris in Utero periclitantibus sic habetur: Puer in Utero matris existens, nec apparet extra, non est baptizandus. Si autem appareat pes vel manus, etsi varia sit Doctorum opinio, debet tamen baptizari; sed si vixerit infans, est baptizandus sub conditione. En quid Ecclesiæ Romanæ rituales libri disertissime ferunt. Quæ igitur novatorum illorum audacia est, ut Ecclesiæ diserte statuerent, Non esse puerum baptizandum, si ita in Ventro matris existat, ut nulla sui parte foras prodeat; baptizandum tamen audacter effutiant? Augustini digna profecto sententia est, si quid universa per orbem frequentat Ecclesiæ an ita faciendum sit disputare, insolentissime demerita est.

Quamquam non est, cur supremam Ecclesiæ auctoritatem advocemus, ubi ex ipso prudentiæ sensu, res ipsa dignoscitur. Administratio quippe Sacramenti prudenter fieri debet, adeoque in subiecto Ecclesiæ noto, quod ab ejus foras pertinere possit. Fœtus autem quando in Utero matris inclusus est, maxime suis illis membranis ac secundinis involutus, Ecclesiæ notus esse non potest nec esse de illius foro; Imo nec pars est societatis civilis, atque visibilis, ut Sacramentorum Ecclesiæ particeps esse possit.

Æquus etiam tunc certo sciat, quid in Utero, quid in membranis illis, ac secundinis delitescat, ut Sacramentum illi prudenter impartiat? Unicus ne homo sit, an forte multiplex? Vivat ne, an sit extinctus? Verus ne homo sit, an forte monstrum? Et cuius generis monstrum? Non ergo nisi imprudentissime baptizaretur, quamquam adhibita arte, aqua lustralis in ipsam Uteri cavitatem stillari possit.

Quid ni quoque imprudentiæ atque audaciæ plenum dicatur in re Theologica, systema eudære, ab universo Theologorum ordine prædammatum? Nemo enim tota retro ætate inventus est unquam, qui ea proposita questione, liceat ne puerum materno in Utero tingere? non diserte aperteque negarit; donec unus, & alter nostris demum temporibus affirmarint. Quanta eo in capite Theologorum moderatio semper fuerit, ex hoc altero facile intelligitur. Questionem agitare solent, quodnam in Lege Mosaicâ remedium esset contra peccatum originale pro iis parvulis, qui ante octavam diem ex hac luce præripiebantur, dum nondum illis administrari poterat circumcisio? Respondent vero concorditer sententia, actum fidei protestantium Parentum ipsorum, remediū loco illis fuisse, atque ita eos fuisse iustificatos, atque salvatos in fide parentum ipsorum, quo pacto etiam in lege naturæ pueri salvati creduntur, dum nondum instituta esset circumcisio. Subjungunt tamen, remedium illud non perinde valuisse pro parvulis illis, qui in matrum Uteris moriebantur: quia ut ajunt, in Uteris matrum non censentur capaces remediū quod per homines, & modo hominibus accommodato, applicari debet, cum nondum in banc lucem editi sint; ac vix cadant sub cognitionem humanam. Ita plane universa Theologorum natio; Et tunc, si superi placet, Chirurgica instrumenta nobis novatores obtrudunt, violentam Uteri dilatationem, Spongiolas, fistulas, adhuc autem & Clisteridia, ut nondum natis pueris contra Originalem peccatum occurrant; quibus ne interno quidem parentum fidei actu succuri possit, ceteri Theologi pronunciant!

Sed age videamus; quæ demum gravia momenta, novi systematis fabricatores impulerint, ut commentum omnibus retro sæculis ignoratum, obtruderent.

Serry Tom. IV.

Non repugnat, inquit, puerum in Utero baptizari; nec ex parte subiecti baptizandi, quia puer in Utero licet inclusus, substantialiter homo est, peccato Originali infectus: Nec ex parte Sacramenti, quod est pro omnibus Adæ filiis institutum: Nec ex parte Ministri, qui præsens adesse potest, cuiusvis demum sexus ille sit.

Contra inquit ego, repugnat omni ex capite: Ex parte subiecti baptizandi, quia licet substantialiter homo sit, Originali peccato infectus, nec dum tamen corporaliter natus est, ut renasci possit, nec societatis visibilis, qualis est Ecclesiæ, membrum esse potest, nec suscipiendæ corporalis lotionis est capax. Repugnat ex parte Sacramenti, quia licet pro omnibus Adæ filiis institutum sit, non tamen quocumque in statu, sed in eoduntaxat, in quo lotionis recipiendæ capaces sunt. Repugnat ex parte Ministri, quia tametsi sit præsens, ministerium tamen suum exercere omnis nequit in eum, qui nequidem Ecclesiæ notus est.

At nonne, inquit illi, sanctificari quis in Utero potest? Nonne sanctificatus est Jeremias? Nonne Joannes? Nonne Deipara? Ecquis neciat! at a solo Deo sanctificati illi sunt; nullo accedente ministerio Ecclesiastico, nullus beneficio Sacramenti. Cum enim Deus hominem, quocumque in statu vesteret, probe norit, & in eum virtutem exercere suam perinde possit, nil mirum si & illum quovis in statu sanctificare queat. At cum Ecclesiæ non perinde quocumque in statu noverit hominem, nec perinde quocumque in statu sacro baptismate tingere potest.

Opponitur a nonnullis factum S. Ludovici Gonzaga, quem materno in Utero proflus inclusum, ab obstetrice baptizatum dicunt, dum ejus mater in extremo periculo, pariendo veresaretur. Cujus baptismatis occasione, ita cecinit Poeta non ingratus.

*Altra prius Lodoice videt, quam lumina terræ.
Ante Deum cernit, quam videre puer.
Sic dum non visus sacro fonte lavaris,
Non visis terris, visis at ipse polo.*

Gratulor elegantia poetica, at licentiam detector, & excorcor; Non est ita, ut fingitur. Tantum enim abest, ut non visus, seu totus in Utero oclusus Ludovicus, sacro fonte lotus sit, ut potius jam magna corporis sui parte foras extra Uterum prodierit, dum ab obstetrice sacro baptismate tinctus est. Legatur hac de re Virgilius Cæparius Societatis Jesu Scriptor diligentissimus, de Vita Divi Ludovici Gonzaga: Antequam, inquit, ex Utero prodiret ex integro, ab obstetrice baptizatus est: Ex parte ergo prodierat. Legatur etiam Annibal Marchetti, alter ejusdem Societatis Scriptor. Ubi corpusculi partem foras emisit, qua sacri baptismatis fonte tingi posset, obstetrix lustralibus aquis abstergere maturavit. Quid ergo nobis Poeta mendax occentat: Non visus sacro fonte lavaris? At Poetis familiare est, res suas in majus augere, historicaque in fabulas vertere: dum enim syllabarum, Vocumque sonum, & numeros querant, veritatem ut plurimum deserunt.

Grandiores subinde tibias inflare, nempe totam ex alto petere sibi visus est, qui ante paucos annos pro eo tuendo commentum Patavii scripsit, dum hocce in Veteres Theologos argumentum iultruxit. Plus Christi Domino redemptionem hominibus profuit, quam nocuerit Adæ peccatum: ac nisi gratia baptismatis, pueris in Uteris matrum inclusis conferri posset; longe minus hominibus prodesset Christi gratia, quam nocuerit Adæ peccatum; quandoquidem pueris illis noceret Adæ peccatum, viciata origine tractum, quibus Christi

E e e
fi